

ANN. XVIII - FASC. VIII-IX

MENSE AUGUSTO ET SEPTEMBRI MCMXXXI

ALMA ROMA



QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

prodijt JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO, constans pagg. 103, editione portatu facil, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mile-siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXX, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 400 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 800, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVIII Romae, Mense Augusto et Septembri MCMXXXI Fasc. VIII-IX

ALMA ROMA
LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante sol-vendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

IN HODIERNAM ARTEM
ANIMADVERSIONES

Ut reliquae humanae res, ita artes quoque liberales varios vitae progressus perfecere; infantes enim quem vix movissent pedes, adoleverunt paullatim, tantumque postremo verticem arripuerent, quantum vix sperarent.

Graecorum haec et Romanorum opera probant; neque tamen populi omnes, qui aliquam consequuti sunt humanitatem, pari modo eos vertices attigere.

Quidam immo eamdem semper suorum operum speciem exhibent, eamque saepe, ut Indi, horridam ac deformem. At Graeci pulchrarum rerum ita foverunt cultum, ut formam perfectam uni in antiquitate sint consequuti.

Horum itaque operibus primum, mox sanctae religionis afflatui tantos artium liberalium progressus tribui oportet.

Sed progressus huiusmodi non citus neque perturbatus, sed latus et continuus per historiae paginas legitur. Quod si quandoque perruptus est, forma liberalium artium brevi cecidit. Quae quisque videre poterit, qui Graecorum artem cum primis Christianorum operibus comparaverit.

verit, quorum prima pulcherrima forma enitet; rudis altera, incompta, infecta apparuit.

Sed hanc quoque discrepantiam historica fata voluere. Nam Christi doctrina eiusque Evangelium adeo ethnicorum omnino mores commutarunt, ut novos fideles a maiorum traditione omni paene divulserint; qui vivendi genus et modos quum immutassent, artium quoque liberalium novam formam sibi effinxerunt: haud enim coloribus et forma uti Christi fideles poterant eodem modo, quo infideles illuc tenus Iovem Veneremque represe-n-taverant.

Sed neque hisce satis; nam barbarorum supervenientes incursiones omnem civilem orbem ita perturbarunt, ut bonarum artium omne studium prope deleverint. Ea de causa praecisum est artium liberalium iter, remque oportuit nepotibus omnino ab initio repetere.

Duplicata igitur via, nova Christianorum ars, rursus per infantiae et adolescentiae aetates progressa, suas formas paullatim expressit, atque Evangelii mysteria ritusque suos varie effinxit.

Nova via hisce rationibus inita, cursus deinde crevit et auctus est, qui per subsequentia saecula eam celsitudinem obtinuit, quae Graecorum operibus longe supere-mineret.

Hoc fato Christus Reparator orbem terrarum non tantum ab idolorum servitute vindicavit, verum etiam eos pulchritudinis sensus hominum in mentibus excitavit, quos nunquam antea maximi artifices suspiciati fuerant.

Iuxta enim divinam Eius doctrinam artes quoque liberales divinae factae sunt: hinc aurea saecula exorta, quae Christianorum templorum prodigia viderunt, quaeque adhuc universae gentes obstupescentes admirantur; iisque divitiis musea nostra et pinacothecae redundant. Quamvis autem saeculo XVII oriente post Bonarottii vestigia artifices omnes vias suas coruperint, brevi aetate amentia illa expleta est. Rei enim maxime mederi visa est Neapoleonidum aetas, quum Graeca rursus specimina artificibus sunt proposita. Tunc rediit et quodammodo revixit veterum operum existimatio, atque venerandae antiquitatis imitatio iterum suscepta est.

Verum novissima aetate nova artibus singulis corruptela irrepit. Si enim maiores nihil tentabant, nisi auctoritate magistrorum suadente eorumque exempla imitantes, hodie effraena licentia, quae mores utique depravat, artium quoque liberalium artifices ad omnem amentiam compulit. Qui quum certatim adlaborent ut inconditos modos inveniant et sibi proprios, neque omnes eadem ingenii copia praediti divinitus sint, incompositas res et inanis edunt, quas nemo cordatus laudet.

Eam denique corruptionem magis sovet hodierna pecuniae cupiditas; qua quis abductus tantum patrat opus, quantum pecunia pactus est. Mecaenas enim artium iam nullus habetur, operumque bonorum quasi commercium efficitur, ubi non tam optima species, quam citus labor et promptus, et qui magis quovis pacto oculos percellat, pecuniam lucrantur.

Quae postrema corruptelae causa iam nescimus quomodo auferri possit, nisi ad

tantum opus futuri artifices, Christi precepto in artibus quoque obsequentes, puris manibus ac tuta conscientia accendant.

I. A.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA¹

De pronominibus eleganter omittendis.

I. - Saepe tertia persona verbo tantum intelligitur.² Pronomina vero personalia primae et secundae personae, quum partes nominativi agunt, fere non exprimuntur;³ v. g.:

Dixit (*ille*) haec publice data; dixit tandem; nihil ostendit (Cic.).

¹ Cfr. fasc. sup.

² Non raro tamen pronomen *is* personam aut rem indicat, de qua in sententia praecedenti sermo fuit, v. g.: Dionysius servus meus aufugit. *Is* est in provincia tua (Cic., *Fam.*, XIII, 77, 1). — Venit mihi ob viam tuus puer. *Is* mihi litteras abs te redditum (Cic., *Attic.*, II, 1).

NB. - Pro *is*, saepe usurpatur *ille* aut, quum vehementior est oppositio, *ipse*, quando ab uno ad alterum nominativum transitur.

³ Exprimuntur tamen:

1) quum altera persona alteri personae quodammodo opponitur, aut quum earum diversa studia significamus; v. g.: *Tu* nidum servas, *ego* laudo ruris amoeni rivos (Hor., *Ep.*, I, 10, 6). — Praedia mea *tu* provides, *ego* aliena misericordia vivo (Cic., *Rosc. Am.*, 50, 145). — *Tu* rides; *ego* fleo. — *Ego* reges eieci, *vos* tyrannos introducitis; *ego* libertatem peperi, *vos* partam servare non vultis (Cic., *Ad Herenn.*, 4, 53).

NB. - a) In huiusmodi oppositionibus tertia persona minime gentium reticenda est; v. g.: *Illi* libertatem imminutam civium Romanorum non tulerunt; *vos* erexit vitam negligetis? (Cic., *Imp.*, 5, 11).

b) Interdum non duo pronomina exprimuntur, sed unum tantum; v. g.: Haec ad te scripsi fretus conscientia officii mei benevolentiaeque quam, quoad *tu* voles, (*ego*) conservabo (Cic.).

2) quum emphatico loquimur, plus significantes quam dicimus; v. g.: *Tu* (sceleratissime hominum) innocentior quam Metellus! (Cic., *Verr.*, 3, 16).

3) quum pronomini apponitur substantivum continuatum; v. g.: Soli ex animantibus *nos* homines

Veni (*ego*) ad eum ipsius rogatu (Cic.). Interrogas (*tu*) me num in exsilium ire te iubeam (*ego*) (Cic.).

Ut plurimis prosimus (*nos*), niti debemus (*nos*). (Cic.).

Desinite (*vos*) nimium esse timidi (Cic.).

II. - Pronomina personalia, etiam tertiae personae, libenter reticent,¹ quae facile subaudita intelliguntur. Hoc fit imprimis quum huiusmodi pronomina sunt:

1^o casus participii seu coniuncti, seu absoluti; et ad nominativum verbi praepcipui referuntur;² v. g.:

Socrates Xenophonti (*eum*) consulenti exposuit quae videbantur (Cic., *Div.*, I, 54, 122).

Urbs, postremo iam fato (*eam*) urgente, expugnata est (T. L., V, 22, 8).

Caesar, Pompeio (*ab illo*) victo, in Asiam transiit.

2^o accusativi verborum «impedio,

astrorum ortus, obitus, cursusque cognovimus (Cic.). — *Nos*, *nos*, dico aperte, *consules* desumus (Cic., *Cat.*, I, 1). — *Ego*, homo *imperitus iuris*, hanc puto me habere actionem (Cic., *Caecin.*, 11, 32).

4) ante vocem *quidem*, quum per eam fit concessio; v. g.: Non *tu* *quidem* vacuus molestias, sed nobis videris (Cic., *Ep.*, IV, 4, 2). — Oratorias exercitationes non *tu* *quidem*, ut spero, reliquisti, sed certe philosophiam illis anteposuisti (Cic., *De Fal.*, 1).

NB. - a) Pro *ego* *quidem* fere ponitur *equidem*; v. g.: Reliqua non *equidem* contemno, sed plus habent tamen spei quam timoris (Cic., *Ad Quint. fr.*, II, 16, 4).

b) Etiam tertia persona tunc exprimitur. Cuius vice fungitur *ille*; v. g.: Ea vitia habent aliquid excusationis, non *illius* *quidem* iustae, sed quae probari posse videatur (Cic., *Sen.*, 18, 65). — Multi esse latini libri dicuntur, scripti inconsiderate ab Epicureis, optimis *illis* *quidem* viris, sed non satis eruditis (Cic., *Tusc.*, I, 3, 6).

1 Hinc pronomen *id*, quod locum teneret totius propositionis, saepe supprimitur; v. g.: Scisne *homines esse mortales?* (*Id*) scio. — Credo *mentem esse in capite* et cur (*id*) credam afferre possum (Cic.).

² Nisi tamen, expresso pronomine, elucutio magis perspicua aut magis expressa evadit; v. g.: Quocumque te flexeris, ibi Deum videbis *occurentem tibi*. (Sen.). — Mucius solus in castra Porsenae venit, eumque interficere, *proposita sibi* morte, conatus est (Cic., *Pro Sext.*, 21).

prohibeo», quae coniunctivus comitatur;¹ v. g.:

Id casus quidam ne facerem *impedit* (*me*) (Cic., *Fat.*, I, 1).

Nec aetas *impedit* (*nos*) quominus litterarum studia teneamus usque ad ultimum tempus senectutis (Cic., *De Sen.*, 17, 60).

Hiemem credo adhuc *prohibuisse* (*nos*), quominus de te certum haberemus quid ageres (Cic., *Fam.*, XII, 5).

III. - Latine nec iteratur nec suppletur vocabulum quod pluries, in sententia, eadem aut arte coniuncta, uno eodemque fungitur munere². Hinc omittuntur, dummodo tamen efferri debeant eodem casu quo iam usurpata sunt vel ipsa vel substantiva, quorum locum tenent:

1^o pronomina personalia, etiam tertiae personae, quae alteri verbo eiusdem, vel arte coniunctae sententiae apponuntur;³ v. g.: Ut *me* levarat adventus tuus, sic discessus (*me*) affixit. (Cic.).

¹ *Impedio* ne fere non sequitur accusativus; «impedio quominus» aut sequitur aut non sequitur accusativus. «Prohibeo» solet habere post se vel infinitum, vel accusativum cum infinito.

² a) Fere dicitur, v. g.: Avium pennae et (*avium, earum*) ossa aëre repleta sunt. — Nolo sequi eam philosophiam, quae spoliat nos iudicio, (*nos*) orbat sensibus (Cic.). — Beneficia meminisse debet is in quem collata sunt; non (*debet ea*) commemorare, (*is*) qui (*ea*) consultit (Cic.).

³ b) Iteratur tamen, quotiescumque hoc in eum finitum requiritur, ut elocutio fiat perspicua aut expressa. Sic interdum repetunt substantivum, imprimis in oppositionibus; v. g.: C. Gracchus, cum largitiones maximas fecisset et effudisset aerarium, verbis tamen defendebat *aerarium*.

³ a) Si non est idem casus, 1) aut usurpatur pronomen: *is*; v. g. Cives romanos coluit *is* que indulxit (Cic.); 2) aut iteratur substantivum vel pronomen iam usurpatum; v. g.: Haec igitur prima lex amicitiae sanciat, ut ab amicis honesta petamus, *amicorum* causa honesta faciamus (Cic.). — Ipsum obtestemur veniamque oremus ab *ipso* (VERG., *Aen.*, II, 358).

³ b) Quando tunc participium comitantur, reticentur, vel si efferri debeant alio casu quo antea aut ipsa aut substantiva, quorum locum tenent; v. g.: Athenienses miserunt Delphos consultum quidnam facerent de rebus suis. *Deliberantibus* (*is*) Pythia respondit

Caesar Pompeium ad Pharsalum devicit atque (*eum*) usque in Aegyptum persecutus est.

Historici *nos* docent, (*nos*) delectant et (*nos*) recreant.

Virtus conciliat *amicitias* et (*eas*) conservat (Cic., *De Am.*, 27, 100).

Multos illustrat fortuna dum (*eos*) vexat (Sen., *Ep.*, 79).

Irrideamus *haruspices*: (*eos*) vanos, futilles esse dicamus (Cic.).

Mithridatem in fuga Tigranes excepit, diffidentemque (*eum*) rebus suis confirmavit (Cic.).

Pasce *capellas* et potum (*eas*) pastas age.

Exercitum fundit fugatque, fusum (*eum*) persequitur (T. L., I, 10, 4).

2º pronomen «*is*», quum ab eo pendet genitivus; ¹ v. g.:

Solis eclipses magis miramur quam (*eas*) lunae. (Cic.).

Morbi perniciosiores pluresque sunt animi quam (*ii*) corporis (Cic.).

ut moenibus ligneis se munirent (Cor. NEP.). — Deserit comitem. *Desertus* (*is*) herbas et folia concerpta sicutum loco ponit (PLIN., *Ep.*, VII, 27, 10).

NB. - Si participium sit absolutum, iteratur substantivum; v. g.: Caesar facit pugnandi potestatem; *potestate facta*, Afranius copias educit (CAES., *Bel. civ.*, I, 41, 3).

c) Quum accusativus pronominis iam effertur in propositione praecedente, interdum ante infinitum supprimitur; v. g.: Puderet me dicere (*me*) non intelligere, si vos ipsi intelligeretis (Cic., *De Nat. deor.*, I, 39). — Dicturum te esse audio (*te*) quaestorem illius fuisse (Cic., *Dv.*, in *Verr.*, 18).

d) Etian pronomen demonstrativum tacetur, quando iterum designatur nova definitione seu designatione persona aut res in propositione vel sententia antecedente iam nominata; v. g.: *Socratis* responsis exarserunt, ut (*illum*) *hominem innocentissimum* condemnarent. (Cic.).

¹ a) Propter elocutionem expressam, usurpant interdum pronomen demonstrativum; v. g.: Tanta virtus nullam mercedem praeter *hanc* (= eam de qua sermo est) laudis gloriaeque desiderat (Cic., *Pro Arel.*). — Quum omnis arrogantia odiosa est, tum *illa* genitii atque eloquentiae multo molestissima (Cic.,

Virtutis est, quam (*is*) aetatis, cursus celerior (Cic.).

Haec causa non ad sociorum salutem, sed ad (*eam*) civium Romanorum pertinet (Cic.).

Meus amicus est? Sit (*is*) patriae prius (Cic.).

IV. - Quum actionem reciprocam ope «inter se» exprimunt, reticent pronomen «se», quod esset accusativus verbi; v. g.:

Furtim (*se*) *inter sese* aspiciebant (Cic., *Cat.*, III, 5, 13).

Cicerones pueri (*se*) amant *inter se* (Cic., *Ad Attic.*, VI, 1, 12).

Cohortari, confirmare, contingere, timere (*se*) *inter se*.

V. - Possessiva omitti solent, quotiescumque e contextu intelligi possunt nec in eis ulla peculiaris vis inest; ¹ v. g.:

Div. in Verr., 11). — Corporis commoda cum externis, et *ipsa* inter se corporis comparari solent (Cic., *De Off.*, II, 25, 88).

b) Quum pronomen «*is*» non esset in eodem casu quo substantivum cuius locum tenet,

1) fere iteratur substantivum; v. g.: Nulla est celeritas, quae possit cum animi *celeritate* contendere (Cic., *Tusc.*, I, 19, 43). — Animi dotes corporis *dotibus* praestant.

NB. - Cicero tamen dixit; v. g.: Conferre vitam Trebonii cum *Dolabellae*.

2) aut usurpatur comparatio quam compendiariam vocant; v. g.: Hominum nostrum prudentiam *ceteris hominibus* (= ceterorum hominum prudentiae) antepono (Cic., *De Orat.*, VII, 44, 197). — Nullo modo poterat causa Lepidi distingui ab *Antonio* (= Antonii causa) (Cic.).

c) Genitivus converti semper potest in adiectivum; v. g.: Terentii fabulis plus delector quam *Plautinis* (= Plauti). — Ciceronis epistolas studiose lego; *Plinianis* (= Plinii epistolis) minus delector.

¹ a) Idem dicendum est de personalibus, quae pro possessivis usurpantur; v. g.: Eum tenuis velabat carbasus et crines (*eius*) velabat arundo (VERG.).

b) Possessiva tunc supplentur ex persona verbi Attamen, si, praeter personam verbi, adest dativus personae vel rei cui aut in cuius commodum aut incommodum aliquid fit, melius ex hoc dativo supplentur possessiva; v. g.: Patris (*mei*) animum, *mihi* reconciliasti.

Virtutis est, quam (*is*) aetatis, cursus celerior (Cic.).

Haec causa non ad sociorum salutem, sed ad (*eam*) civium Romanorum pertinet (Cic.).

Meus amicus est? Sit (*is*) patriae prius (Cic.).

IV. - Quum actionem reciprocam ope «inter se» exprimunt, reticent pronomen «se», quod esset accusativus verbi; v. g.:

Furtim (*se*) *inter sese* aspiciebant (Cic., *Cat.*, III, 5, 13).

Cicerones pueri (*se*) amant *inter se* (Cic., *Ad Attic.*, VI, 1, 12).

Cohortari, confirmare, contingere, timere (*se*) *inter se*.

V. - Possessiva omitti solent, quotiescumque e contextu intelligi possunt nec in eis ulla peculiaris vis inest; ¹ v. g.:

Div. in Verr., 11). — Corporis commoda cum externis, et *ipsa* inter se corporis comparari solent (Cic., *De Off.*, II, 25, 88).

b) Quum pronomen «*is*» non esset in eodem casu quo substantivum cuius locum tenet,

1) fere iteratur substantivum; v. g.: Nulla est celeritas, quae possit cum animi *celeritate* contendere (Cic., *Tusc.*, I, 19, 43). — Animi dotes corporis *dotibus* praestant.

NB. - Cicero tamen dixit; v. g.: Conferre vitam Trebonii cum *Dolabellae*.

2) aut usurpatur comparatio quam compendiariam vocant; v. g.: Hominum nostrum prudentiam *ceteris hominibus* (= ceterorum hominum prudentiae) antepono (Cic., *De Orat.*, VII, 44, 197). — Nullo modo poterat causa Lepidi distingui ab *Antonio* (= Antonii causa) (Cic.).

c) Genitivus converti semper potest in adiectivum; v. g.: Terentii fabulis plus delector quam *Plautinis* (= Plauti). — Ciceronis epistolas studiose lego; *Plinianis* (= Plinii epistolis) minus delector.

¹ a) Idem dicendum est de personalibus, quae pro possessivis usurpantur; v. g.: Eum tenuis velabat carbasus et crines (*eius*) velabat arundo (VERG.).

b) Possessiva tunc supplentur ex persona verbi Attamen, si, praeter personam verbi, adest dativus personae vel rei cui aut in cuius commodum aut incommodum aliquid fit, melius ex hoc dativo supplentur possessiva; v. g.: Patris (*mei*) animum, *mihi* reconciliasti.

Omnis noti (*mei*) me atque amici deserunt (Ter.).

Manus (*tuas*) lava (Cic., *De orat.*, II, 60, 246).

Retorquet oculus (*suos*) saepe ad hanc urbem (Cic., *Cat.*, II, 1, 2).

Animos (*vestros*) attendite ad ea quae consequuntur.

VI. - Demonstrativum fere abiicitur, si sit in nominativo aut accusativo, et eodem casu sequatur vel antecedat ad illud pertinens relativum «qui, quae, quod¹»; v. g.:

¹ a) Quum demonstrativum non est in nominativo nec in accusativo, attamen effertur eodem casu quo relativum; tunc non reticetur nisi ex contextu facile intelligatur subauditum; v. g.: *Cum quibus copiis* venerat, (*cum his*) Messanam traicit. (T. L.). — *Quibus bestiis* erat in cibus ut alias generis bestiis vescerentur, (*huius*) aut vires natura dedit aut celeritatem (Cic.).

b) Quando alias est casus demonstrativi, alias casus relativi, demonstrativum quandoque deficit, quo cumque casu efferendum est; v. g.: Nihil aliud optabant (*huius* *quorum*) poscebatur argentum, nisi ut id Tlepolemo displiceret (Cic., *De Signis*, XIII, 31). — Semper in civitate (*huius* *quibus*) opes nullae sunt, bonis invident (SEN.). — Omnia adsunt, bona (*ei*) quem penes est virtus (PL.). — *Quae leges* in pace latae sunt, (*eas*) plerumque bellum abrogat; *quae* in bello, (*eas*) pax. (T. L.). Id fit ob varias quidem causas. Ex quibus haec una notetur: demonstrativum frequenter deficit, quando relativum refertur ad personam indefinitam et aequivalet «si quis»; v. g.: Xerxes praemium propositum (*ei*) qui (= si quis) invenisset novam voluntatem (Cic., *Tusc.*, V, 7, 20).

c) Exprimitur tamen demonstrativum:

1) quum est accusativus infiniti; v. g.: Lucilius dicebat, *ea* quae scriberet, non ab indoctissimis se *legi* velle (Cic.).

2) quum vis in eo ponitur; v. g.: Haec omnia *is* feci, *qui* sodalis Dolabellae eram (Cic., *Fam.*, XII, 14). — *Quae* liberi parentibus, *ea* coloni antiqueae patriae debent (T. L.). — Ne dubiteris quin *quod honestius, id mihi futurum sit antiquius*. (Cic.).

d) In correlativis, etiam demonstrativa *talis*, *tantus*... etc. omitti solent, quum referuntur ad relativum eiusdem casus, ex quo suppleri possint; v. g.: Discipulum maxime probo (*talem*) *qualem* te fore promisi. — *Quanta* potuit, (*tanta*) celeritate currit.

NB. - 1) Quandoque omittuntur vel quum relativum non est eiusdem casus; v. g.: De vera amicitia est antecedens.

Maximum ornamentum amicitiae tollit (*is*) *qui* ex ea tollit verecundiam (Cic., *De Am.*, 22).

Terra nunquam sine usura reddit (*id*) *quod* accepit (Cic.).

Rogat Rubrum ut *quos* ei commodum sit (*eos*) invitet (Cic., *Verr.*, I, 16).

VII. - Quum idem antecedens est propositionibus relativis, quae ad propositionem primariam referuntur et coniunctione copulantur, alterum relativum supprimi solet, si nominativo efferti debeat; ¹ v. g.:

Cum peditibus quos Volux adduxerat, neque (*qui*) in priore pugna adfuerant (Caes.).

Quae neque ego teneo neque (*quaes*) sunt eiusdem generis (Cic.).

VIII. - Reticentur indefinita:

1º «aliquis» plerumque ante relativum, quod sequitur coniunctivus; v. g.:

Misimus (*aliquem*) *qui* pro vectura solveret (Cic., *Ad Attic.*, I, 3).

Epistolam scripsi, quia nactus eram (*aliquem*) *cui darem* (Cic.).

Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberet (*aliquem*), *qui* illis aeque ac tu ipse *gauderet?* (Cic., *De Am.*, 6, 22).

Quid dulcius quam habere (*aliquem*)

loquor, (*tale*) *qualis* eorum qui pauci nominantur fuit (Cic., *De Am.*, II, 22).

2) Audacior etiam apud Livium est ellipsis cum *qualis*; v. g.: Praelium fuit *quale* (= *tale quale esse debuit*) inter fidentes sibi ambo exercitus (T. L., III, 62). — Equitum pedestre praelium *quale* (= *tale quale solet esse*) iam haud dubia hostium Victoria fuit. (T. L., XXII, 49).

3) Saepe supprimitur demonstrativum etiam in correlativis quae non sunt pronomina; v. g.: Disces (*tamdiu*) *quamdiu* voles (Cic., *De Off.*, I, 1). — Omnes boni (*tantum*) *quantum* in ipsis fuit, Caesarem occiderunt (Cic., *Phil.*, II, 29). — Unde semel pecuniam sumpsti, (*inde*) iterum sume.

¹ Plinius scripsit: «Oleribus utilissimae aquae sunt *quaes* frigidissimae et *quaes* potu suavissimae», quia agitur de duabus aquis, nec proinde idem logice est antecedens.

*qui cum omnia audeas sic loqui ut tecum?
(Cic., De Am., 6, 22).*
2º «aliquid» semper ante voces «quod»
«cur», «ubi», cum coniunctivo; v. g.:
Est (*aliquid*) *quod gaudreas* (Cic., Fam.,
VII, 10).
Est (*aliquid*) *cur* morbus ingravescat.
S. Leonardi in Helvetia.

J. Iss.

(Ad proximum numerum).

HORAE SUBSECIVAE

Iris.

*Quam gratum nobis, cum glebas aestus hiulcat,
Ad gelidum pure labentem accedere fontem!
Lene gementis aquae fluitans per gramina
[murmur,
Omnia cum taceant flaventia fructibus arva,
Nescio blandidicum nobis quid in aure su-
[surret.*

*Visere saepe locum soles sub monte iacentem,
Antrum ubi pumiceum tenui sub luce patescit.
Desuper exsudant lympharum scrupea guttas
Saxa, quibus madidus stillanti vellere mu-*

[scus

*Impendet: salebris humus interiecta fatiscaens
Conchas semper alit large salientibus undis.
Decurrit rivas properans ad proxima rura,
Pinguis ut sulcos secundo rore maritet.
Ante specum innumeris guttis aspersio lym-*

[phae

*Prosiliens rupis venis vehemente ab imis,
Ia pluvios fuse circum dispergitur imbris.
Tunc sole adverso rutilans depingitur Iris,
Quae solet in septem refringere mille colores.
Cum sol occiduus terras sua lumina celat,
Versicolor curvo ex antro vanescit et Iris:
Tanta est in solis radiis abscondita virtus,
Ut per eos nobis pulcherrima quaeque pa-
[rentur.*

I. SCOPA.

SCIENTIAE PERVESTIGATIONES
A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE
LATINE VULGATAE

NOTAE.

DE DISTRIBUTIONE NEBULARUM IN UNIVERSO,
DEQUE HYPOTESI EXPANSIONIS.

In observatorio Montis Wilson, anno elapsi, 500 regiones sunt photographice expressae, relate ad viam lacteam, unitorumiter distributae in caelo. Detectae sunt plus quam 10,000 nebularum. Iuxta examen praevium, via lactea cingitur zona valde irregulari, in qua prorsus desunt nebulae; accedit margo, in quo rariores inveniuntur. In altiori latitudine galactica nebulae quasi uniformiter sparguntur, superpositis multis nebularum acervis et aliquot earumdem cumulis. Longius a via lactea nebularum numerus gradatim magis magisque evadit, aucto tempore expositionis, ita ut in spatio quasi uniformiter dispersae esse videantur. Decrescente latitudine galactica crescit a contrario index coloris, quod videtur esse effectus haustus lucis in statu materiae obscurae, qua via lactea involvitur.

Distinguuntur nebulae solitariae et nebularum cumuli. Cumuli, hucusque octo, sunt praegrandes conglobationes plurium centenorum nebularum, quae longissime a nobis distant. Dantur etiam multi nebularum acervi, qui minori nebularum numero constant. Iam notae sunt velocitates radiales 58 nebularum solitarium, et aliarum 22, quae ad 5 cumulos pertinent. Earum distantiae sunt ex magnitudine apparenti sive stellarum in eis observatarum, sive ipsarum nebularum.

Nebulae solitariae cum velocitatibus inter 750 et 5100 km. pro momento secundo a nobis recedunt. In cumulis Persei et Coronae inventae sunt nebulae cum velocitatibus 5100 et 7100 km., immo in cumulo Ursae Maioris observata est

nebula cum velocitate extraordinaria 11500 km.

Iam ex datis nebularum nobis viciniorum. Hubble deduxerat relationem linearem inter distantias et velocitatis radiales, quae ex novis observationibus plene confirmatur.

Velocitas recentium nebularum pro singulis milionibus annorum lucis augmentum 150 km. accipit. Distantias supra memoratae nebulae in Ursa Maiori fere 80 milionum annorum lucis aestimatur.

De Sitter et Lemaitre demonstrarunt, phaenomenon recessionis nebularum in theoria relativitatis explicari posse, si universum consideretur ut sphaera trium dimensionum, quae se expandit. Supponit universum expansionem inchoasse ab illo statu aequilibrii instabilis, qui dicitur universus Einsteinii. Nota peculiaris illius status aequilibrii est distributio uniformis materiae in Universo. Iusta hanc hypothesim formatio condensationum ex materiae primaeva est causa expansionis Universi, quae in indefinitum pergit.

JOANNES STEIN.

DE REFRACTIONE ET REFLEXIONE IN «RE-
LATIVITATE GENERALI».

Iuxta classicae disciplinae formulam, phaenomena opticae geometricae reguntur per principium Fermat minimi temporis, ex quo, ut notum est, per processum ad limites, deducuntur leges carthesianae de reflexione et refractione.

Principium illud, in doctrina relativitatis generalis per aliud generalius principium substituitur, quod etiam in mediis motu praeditis applicari potest, iuxta quod radii lucis repraesentantur per geodeticas chronotopicas nullius longitudinis.

Ex hoc principio, per transitus ad limites, deducuntur nunc prius leges opticae transitionis; quas inter, illa etiam quae reflexionem respicit speculi mobilis.

T. LEVI-CIVITA.

NOTITIAE,

DE ULTIMA EXPEDITIONE GEOLOGICA IN CA-
RACORUM ORIENTALI.

Apud Regiam Academiam Italiae, Giotus Dainelli Academicus, in sollemni conuentu nuperrime habito, exposuit praecipua quae consequutus est in expeditione anni praeteriti in Caracorum Orientali.

Quae nunc breviter perstringimur:
Chartae topographicae de fronte Rimu emendatae et auctae sunt. In exploratione bacini Siacen novus apparuit stratus geologicus, antea in ea regione ignotus.

Ampliatae sunt observationes morphologicae et periodus glacialis in valle Nubra.

In campo-basi, ad 4800 metrorum altitudinem, observationes meteorologicae productae sunt per duos menses, et specimen florae alpine collecta.

Mensurae anthropometricae 150 aboriginum habitae sunt.

Elevatio stereogrammetrica delineata glaciatae molis Siacen, quae amplissima est in ipsa regione (80 km. longitudinis).

Tota expeditio valicu superavit a Siacen ad Rimu (6100 m.), iam antea incassum tentatum; nomen ipsi datum «Collis Italia», in eoque italicum vexillum infixum. Et recte quidem, quia impervia illa regio Caracorum per italicos praesertim exploratores patuit, quorum primus P. Hypolitus Desideri S. I. initio saeculi decimoctavi, quem plurimi Itali sequuti sunt.

DE ANGELIS D' OSSAT.

DE UNDIS ELECTRICIS BREVISSIMIS.

Iam omnibus comperta sunt experientia radiotelegraphica inter Dover et Calais, quae undis breviissimis felicissimo exitu locum habuerunt. Agitur de undis, quorum longitudo 18 centimetra attingit, scilicet de oscillationibus, quae ad millia millium per secundum momentum temporis numerantur. Emissio fit per dipo-

lum a triodo excitatum et in foco parabolicum speculi positum; receptio per antennam paucis centimetris longam et in medio speculi positam. Undarum radii recto et collecto itinere a speculo ad speculum pertingunt. Si radii flectendi sunt, per reflectionem fieri potest. Hoc certe limites imponit in transmissione, praesenti saltem tempore.

Laetamus quod Marconi, uti ab ipso audivimus, in eo sit, ut nova experimenta instauret, et quidem per breviores etiam undas, et eum felicibus auspiciis sequimur.

I. GIANFRANCESCHI.

Nova Quaedam Condensatorum Applicatio.

Insertio condensatorum in lineis, quae alternam vim electricam conducunt, multiplici modo fieri potest, ut notum est, et ad varios effectos habendos. Novissima ex Statibus Foederatis Americae, in commentario *Electrical Engineering*, a Cartland nunciata sunt, quae digna videntur mentione.

Si quando adhibenda erit parva quaedam potentia, sub parva tensione, ex aliqua linea altioris tensionis derivanda, praestat, ut asserunt, non per transformatorem, sed per series condensatorum ad terram lineam deducere. Hoc autem facilius obtineri potest si linea uti primarium parvi cuiusdam transformatoris inducitur, cuius secundarium ad explicandam quae-sitam energiam aptatur. Certe cavendum est ne ob massivum circuitum in secundario ipsa currentis flutio in primario ec-cessiva evadat; sed hoc per aptam reactantiam insertam obtineri potest.

A. LOMBARDI.

De Compensatione in Lineis Electricis Altae Tensionis.

In trasmissione «energiae» per electricam vim alternam altae tensionis difficultas exsurgit ex ipsa reactantia autoinductionis

in lineis. Ad hanc vitandam potest introduci altera reactantia capacitatibus, quae ita aptari debet ut primam compenset, et sic in linea nonnisi ohmica resistentia manifestetur. Per hanc methodum *The General Electric Company* in Statibus Foederatis Americae, pluries et facile optimum exitum obtinuit.

Praecavendum tamen est ne per massivum circuitum condensatores ipsi pessum dentur; attamen per spinterometrum inter fulturas insertum, quodque in *relais* condensatores excludentem agat, difficul-tas evadi potest.

A. LOMBARDI.

DE LAMPADA HYDRARGIRICA.

Lampada hydrargirica bene usurpata est ut interruptrix vel religatrix, quum de magna agitur potentia, vel ut regulatrix in circuitis electricis, quorum vis vel con-tinua vel alterna sit.

Apta etiam nuper inventa est; ut vis electrica continua in alternam conver-tatur, quod iam Mitsuda, vir Iaponicus, obtinuit per arcus interruptionem adhibito disco perforato. Aptius vero nuper Socie-tas Brown-Boveri, adiunctis electrodis in ipsa lampada, idem obtinuit, immittendo opportunas tensionis oscillationes, quae fluxum ionorum positivorum ex anodo emanantium gubernant. Simile quoddam obtinuit Societas Siemens ad frequentiam alternatam immutandam et ad altiora po-tentialia obtinenda.

In methodis istis analogia appareat inter lampadas hydrargiricas et triodos, nam electrodi supplementares cratis locum te-tenant, sed tantum ut retardationem indu-can-t in fluxum, non ad omnimodam in-tensitatis fluctuationem. Nondum appareat ergo lampadam hydrargiricam substitui posse triodos in radiotelegraphia vel ra-diotelephonia.

A. LOMBARDI.

DE NEWTONII SEXTANTE.

Iohannes Haldley anno 1731 descripsit sextantem a Newton inventum, quem et nunc habemus. Sed simul addidit descrip-tionem alterius sextantis per aëris bul-lam; qui tamen nondum in praxim venit. Nunc vero, post duo saecula, res in lucem rediit, quae visa est in executionem dari, quod et revera fiet, et breviter publici iuris erit per descriptionem in commen-tario *Aerotechnica*.

TENANI.

DE FLORIBUS ALPINIS

Plaudite! Feriae supervenerunt! Rede-a-mus ad nostre et ascendamus Alpes; ibi enim purior aër; amplior prospectus ad giganteos montium vertices; sub pedi-bus adspectus viridium vallium rivulis, lacubus, agris, pratis, domibus, vicis, op-pidis insertis usque ad remotissimas terras atque colles: ibi et novas et magnifica-res Supremi Artificis animadvertis data est recens occasio.

Imprimis exiguae et venustae herbae altis locis germinantes et vestigia viatorum passim sectantes invitant alpinas regiones interdum non sine magno vitae discrimine adire.

Si plantas in montibus altis et mediis et in convallis crescentes inter se com-paraveris, exemplo varias conditiones priores a posterioribus distinguentes in-venies.

Minores caloris gradus, inopiam arbo-rum inter superiores et inferiores fines silvae nives perpetuae efficiunt. Brevis aestas et frigora non raro nocturna vege-tationem robustam ramorum impediunt, qui praeterea hiemali tempore nivium mole opprimentur. Quam ob rem arbo-

res paucae tantum, et eae curvatae, in hoc cingulo terrae sunt.

Ut regio alpina arboribus caret, ita plantas unius anni frustra requiris; quod quidem facile intellectu est; namque aetas brevior est, quam ut cyclus vitae planta-rum finiri possit; semini non est matur-escendi tempus, et plantae unius anni exstingui debent; itaque herbae, et qui-dem ligneae, plurim annorum et singuli fructices tantummodo reperiuntur.

Quia plantae, indigente humo, ex pro-fundis petrae rimis succum attrahere co-guntur, longae radices oriuntur, quibus herbae alpinae plerumque eminent.

Nondum liquefacta nive, vel propinquis locis adhuc exstante, et herba alpina iam florescit. Ne credas id absque causa; calices enim florum autumno anterioris anni iam germinant, ac proinde diebus veris primi apparent flores, nonnunquam sub gracili tegmine nivis.

Magnam praestantiam exhibent ger-minantia pusilla Alpium in colore, qui semper est vivus, purus, non permixtus: (*Dryas variae species*, *Drabae*, *Saxifra-gae...*); caesi (Gentiana, Soldanella, Ve-ronica, Campanula, Phyteuma, Myoso-tis nana...); perquam roseus (*Ranunculus*, *Patentilla*, *Papaver...*).

Mirandum vero est, quod tam impurae, tam sordidae sunt plantae convallium contra liberas caelo propinquiores Alpium; attamen his virtus deest, qua in aedibus nobilium recipiuntur: plantae Alpium omnes odore carent, si paucas excipias.

Etiam venenatae non inveniuntur.

Ad floram Alpium pertinet, quod plan-tae earumque humus et loca proxima mi-nus convenient. Ad nudas et proclives ru-pe-s, ad diffusas et latas terras nivosas, ad subcaeruleas nives conglaciatas parvae tenuesque herbae sese adiungunt; praeci-pue glaciei et nivi perpetuae vicinae stan tes valde sunt conspicuae; exempli gratia in summis montibus procedunt sub glacie

Soldanellae, tenuia, elegantia, violacea tintinnabula margine fimbriata portantes.

Mirabilia haec sane, et laudandus Omnipotens, qui magnus est in maximis et in minimis; attamen rationis humanae est, ut sedula observatione causas naturales accuratius investiget; proinde accessus ad Alpes commendatione valde dignus; nam is naturae Alpium non ignarus erit, qui eam in minimis ipsis observaverit.

PETRUS CARINTHIACUS.

COLLOQUIA LATINA

Sorrectio matutina.¹

EMMANUEL et BEATRIX, eius soror.

BEAT. - Heus! Emmanuel, esne hodie evigilaturus?

EMM. - Nescio quid inciderit mihi in oculos; ita videor eos habere plenos arenae.

BEAT. - Haec est prima tua canticum matutina, et bene vetus. Aperiam fenestras hasce ambas, ligneam et vitream, ut feriat clarum mane tuos oculos. - Surge, surge.

EMM. - Tam multo mane?

BEAT. - Propior est meridies quam aurora. Vis ne subculam recentem?

EMM. - Nihil hodie est necesse: haec est satis munda: cras sumam alteram. Cedo mihi laneum thoracem.

BEAT. - Quem? Simplum an diploideum?

EMM. - Porridge huc simplum, ut, si sim hodie lusurus pila, minus graver.

BEAT. - Hic est semper tuus mos; prius de lusu cogitas quam de schola.

EMM. - Quid tu dicis, inepta? Et schola ipsa vocatur ludus!

BEAT. - Ego non intelligo vestras gram-

mationes et sophismata. - En tibialia et femoralia.

EMM. - Femoralia ad usque talos producta aestu hoc flagrante? Dato semicircularia... Et nunc cingulo constringe me.

BEAT. - Quid tu habes brachia foenea, aut butyracea?

EMM. - Non; sed filo tenui consuta. - Ohe! Ecquid mihi inducis adstrigmentum coriaceum, minime vero sericum?

BEAT. - Memineris te heri aleis hoc perdidisse.

EMM. - Qui scis?

BEAT. - Ego per rimulam ostii observavam te.

EMM. - Belle!... Amabo ne id mater resciat. Cedo calceos.

BEAT. - Utros? Longo obstragulo an brevi?

EMM. - Tectos propter lutum.

BEAT. - Propter lutum aridum, hoc est pulvis...

EMM. - Hui! Quales dedisti ligulas exarmatas et laceras!

BEAT. - Quales ipse effecisti. Aliae in promptu non sunt.

EMM. - Age, porro, adliga.

BEAT. - Erunt igitur mihi et ocrearum laquei adligandi?

EMM. - Non possum ego me flectere.

BEAT. - Tu quidem facile te curvares; desidia vero tua difficile: an deglutisti ensem, ut circulator ille nudius tertius? Adeone es iam delicatus? Quid facies grandior?

EMM. - Adstringe nodo laxo gemino, quod est elegans.

BEAT. - Nihil minus: solveretur nodus illico, et decideret tibi calceus e pedibus. Praestat vel gemino adstrictio, vel adstrictio et laxo. - Sume tunicam manicatam.

EMM. - Immo prius et pectorale, et focale cum acicula ad ipsum iuxta collum figendum.

BEAT. - At prius etiam pecte caput tum radiis rarioribus, tum densioribus.

Denique apta pileum vertici, ne in occiput reicias more tuo, aut in frontem et oculos.

EMM. - Prodeamus iam tandem.

BEAT. - O dii boni! Illotis manibus et facie etiamnunc es!

EMM. - Ista tua tam molesta curiositate taurum iam enecasses, nedum hominem. Videris mihi non puerum vestire, sed sponsam.

BEAT. - Eusebi, affer pollubrum cum urceolo; funde altius; stilla potius ex epistomio, quam profundas. Et tu, Emmanuel, elue sordes istas e nodis digitorum, ablue os et gargariza, frica bene cilia et palpebras, tum glandulas sub auriculis duriter. Cape linteum, exterge te... Vah! De omnibus es singillatim admonendus; nihil ne ipse tua sponte faceres?

EMM. - Sane nimium es importuna et odiosa!

BEAT. - Mane adhuc paullisper: pone in sinu sudariolum hoc ad nares emungendas et purgandas.

EMM. - Sum ne satis ad arbitrium tuum compositus?

BEAT. - Es.

EMM. - Ad meum minime, quoniam iam tandem ad tuum: ausim facere sponsionem, me horam unam vestiendo consumpsisse.

BEAT. - Quid, si vel duas? Quo eras alioqui iturus? Quid acturus? Fossurus, credo, aut aratus.

EMM. - Quasi desit quod agam!

BEAT. - O magnum virum, vehementer in nihil agendo occupatum! Ne saltem obliviscaris flectere genua, et precationem Dominicam precesque alias, quas habes de more, recitare, antequam pedem ponas extra cubiculum!

Flectitur obsequio curvatus ab arbore ramus:
Frangis, si vires experiere tuas.

OVIDIUS.

ROMA SACRA

SS. D. N. Pii Pp. XI litterae encyclicae de ordine sociali instaurando et ad Evangelicae Legis normam perficiendo, in annum XL post editas Leonis XIII litteras encyclicas « Rerum novarum ».¹

Haud minus profunde quam oeconomiae species mutatus est ipse socialismus, in duas partes invicem plerumque adversantes dissensus, quarum altera violentior est « communismus »; mitior altera socialismi nomen retinuit, a pugna classum dominique extinctione aliquantum recedens: neutra vero a fundamento fidei christiana contrario, quod veteri socialismo proprium erat, discessit, ita ut imerito a quibusdam moveatur quaestio, num forte etiam christiana veritatis principia aliqua ratione sic aut mitigari aut temperari possint, ut socialismo eatur obviam et media quasi via cum eo conveniatur. Neque inani minus spe illiciunt fore ut hac ratione socialistae ad nos pertrahantur. Etenim « sive ut doctrina, sive ut factum historicum, sive ut "actio" consideretur, socialismus, etiam postquam veritati et iustitiae... (aliquantisper) concessit, componi cum Ecclesiae catholicae dogmatis non potest: siquidem ipsam societatem fingit a christiana veritate quam maxime alienam ». Itaque « nemo potest simul catholicus probus esse et veri nominis socialistus ».

Est tamen novus quidam socialisticus procedendi modus, hactenus quidem minus notus; nunc vero ad plures socialismi sectas propagatus. « In animos moresque instituendos imprimis incumbit: praecipue quidem infantes ipsos teneros amicitiae specie sibi allicit secumque trahit, sed totam etiam hominum multitudinem complectitur, ut homines tandem socialistici formentur, qui huma-

¹ Ex colloquis IOAN. LUDOVICI VIVES. - Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

¹ Cfr. fasc. sup.

num convictum ad socialismi placita conformantur.

«Quum in Nostris Encyclicis Litteris *Divini illius Magistri*, quibus principiis insistat, quos fines persequatur paedagogia christiana docuerimus abunde (Litt. Encycl. *Divini illius Magistri*, d. 31 Dec. 1929), quam eis repugnat quae facit et querit hic socialismus mores cultumque pervadens, tam perspicuum est et evidens, ut declaratione non indigat. Gravissima vero quae secum fert pericula vindentur ii aut ignorare aut minus ponderare, qui nihil pensi habent eis pro rerum gravitate fortiter naviterque resistere. Hos de imminentि gravissimo damno commonefacere Nostri pastoralis officii est: meminerint omnes, huius socialismi, mores cultumque pervadentis, parentem quidem liberalismum fuisse, heredem vero *bolscevismum* futurum».

Atque tamen catholici fuerunt in castris socialismi transfugae, neque minus deflendum, fuisse, immo etiam nunc esse, qui «quum catholicos se profiteantur, sublimis illius iustitiae et caritatis leges, qua non solum quod suum est cuique reddere, sed fratribus egentibus ut ipsi Christo Domino succurrere tenemur (cfr. Epist. S. Iacobi, c. 2), fere immemores sunt, quodque gravius, ob lucri cupiditatem operarios vexare non ventur. Immo vero, non desunt qui religione ipsa abutantur, eiusque nomine iniustas exactiones velare conentur, ut a iustis plane operariorum expostulationibus se tutentur. Quorum agendi rationem graviter arguere nunquam desistemus. Ipsi enim in causa sunt, cur Ecclesia, etsi immerito, videri potuerit et insimularetur partes agere locupletium, eorum autem, qui quasi naturali sua hereditate privati erant, necessitatibus et angustiis minime commoveri. Immerito et iniuria haec videri et dici, totius Ecclesiae historia clare demonstrat; ipsaeque Encyclicae Litterae, quarum anniversarium festum celebramus, luctuissimum testimonium sunt in Ecclesiam eiusque doctrinam nonnisi iniustissime has calumnias et contumelias coniici.»

Quos omnes postquam amantissimis verbis Pater sanctissimus invitaverit, ut eo redeant unde exiere, pergit:

«Verum, si rem diligentius penitusque inspiciamus, liquido deprehendemus, hanc optatissimam instaurationem socialem spiritus christiani renovatio, a quo misere passim defecerunt tot homines rei oeconomiae addicti, praecedat oportere, ne tot conatus incassum cadant, aedificiumque struatur non super petram, sed super mobilem arenam (Matth., VII, 24 sqq.).

«Et sane, hodiernam oeconomiam conspeximus..., eamque gravissimis vitiis laborantem agnovimus. Communismum quoque et socialismum rursus in iudicium vocavimus, eorumque omnes vel mitigatas species ab Evangelii praeceptis longe aberrare deprehendimus.

«Quare – ut Decessoris Nostri verbis utamur, – si societati generis humani medendum est, revocatio vitae institutorumque christianorum sola medebitur (Litt. Encycl. *Rerum novarum*, n. 22). Nam haec una nimiae de caducis rebus sollicitudini, quae omnium est vitiorum origo, efficax remedium afferre, haec una fascinatos hominum oculos, in fluxis huius mundi rebus plane defixos, inde avellere et ad caelum attollere potest. Quo quidem remedio nunc humanam consortiōnem maxime indigere quis neget?»

Necesse quidem est ut Christiana ratione informetur vita oeconomica. Quoquot sunt in re sociali vere periti nonne enixe expetunt compositionem ad normas rationis exactam, quae vitam oeconomiam ad sanum rectumque ordinem reducat? Atqui hic ordo «mancus omnino et imperfectus erit, nisi omnes humanae efficientiae ad miram divini consilii unitatem imitandam, et quantum humanis viribus datum est, assequendam amice conspirent: perfectum dicimus illum ordinem, quem magna vi et contentione proclamat Ecclesia, quem recta ipsa expostulat humana ratio: ut nimirum ad Deum tamquam ad pri- mum ac supremum totius creatae efficientiae

terminum omnia dirigantur, et sub Deo creata quaelibet bona ut mera instrumenta habeantur, quibus tantum utendum sit quantum ad supremum finem attingendum ducant. Neque putandum est per hoc minoris fieri aut minus dignitati humanae consonas aestimari quae-stuosas artes; quin immo in iis apertam divini Conditoris voluntatem venerabundi agnoscere docemur, qui posuit hominem in terra ut operaretur illam, eaque ad suas ne-cessitates multifariam uteretur. Fortunam au-tem suam rite et iuste amplificare non prohibentur quicumque ad bona progignenda dant operam, immo aequum est, ut qui com-munitati deservit eamque reddit ditorem, ex auctis communitatis bonis ipse quoque pro sua condicione ditior fiat, dummodo haec omnia cum debito erga Dei leges obsequio et illaesis aliorum iuribus querantur et se-cundum fidei et rectae rationis ordinem adhi-beantur. Quae si ab omnibus, si ubique, si semper serventur, non modo rerum confectio et acquisitio, sed divitiarum quoque usus, qui nunc saepe tam inordinatus cernitur, brevi intra aequitatis et iustae distributionis limites revocabitur: atque sordido propriarum dum-taxat rerum studio, quod nostrae aetatis est dedecus et grande peccatum, re et factis op-ponetur suavissima at simul validissima chri-stianae moderationis lex, qua homo iubetur quaerere primum regnum Dei et iustitiam eius, certo sciens bona quoque temporalia ex divina liberalitate certaque promissione sibi quantum opus fuerit adiectum iri.

«Verum, in his omnibus praestandis, poti-ores partes semper lex caritatis oportet, «quod est vinculum perfectionis» (Coloss., III, 14). Quam ergo falluntur incauti illi reformatores, qui solam iustitiam eamque commutativam servandam curantes, caritatis auxilium superbe reiiciunt! Profecto iustitiae ex officio debitae et inique denegatae caritas vicaria succeedere nequit. At, etsi omnia sibi debita quisque hominum supponatur tandem adepturus, amplissimus caritati semper pa-tabit campus: sola enim iustitia, vel fidelis-

sime exhibita, socialium certaminum causas quidem removere, nunquam tamen corda unire animosque copulare poterit. Iam vero quaecumque ad pacem firmandam mutuumque inter homines auxilium promovendum sunt instituta, quantumvis perfecta videantur, in mutuo animorum vinculo, quo sodales in-vicem uniantur, potissimum habent suee firmitatis fundamentum, quo deficiente, ut sae-pius experiendo didicimus, optima quaeque praescripta irrita evadunt. Itaque tunc solum vera omnium in unum commune bonum con-spiratio haberi poterit, quum societatis partes intime sentiant se unius esse magnae fami-liae membra eiusdemque caelestis Patris filios, immo se unum corpus in Christo, «singuli autem alter alterius membra» (Rom., XII, 5), ita ut «si quid patitur unum membrum, compatiunt omnia membra» (I Cor., XII, 26). Tunc enim divites aliique proceres, pristinam suam erga pauperiores fratres incuriam in sollicitam et operosam dilectionem mutabunt, eorum iusta postulata aperto corde excipient, eorumque forte culpis et erroribus libenter parcent. Operarii vero, quovis odio invidiaeque sensu, quo socialis certaminis fautores tam callide abutuntur, sincere re-stincto, locum sibi a divina Providentia in humana societate assignatum non solum non fastidient, sed magni facient, utpote bene sibi concisci, ad commune bonum pro suo quemque munere et officio vere utiliter et hono-rifice adlaborare eiusque vestigia pressius sequi, qui cum in forma Dei esset, faber inter homines esse et fabri filius haberí vo-luit.»

Huius novae in mundum diffusionis Evan-gelici spiritus, qui christiana moderationis et universalis caritatis est spiritus, opus quidem arduum est: Pontifex omnes homines etiam atque etiam hortatur, ut nullis parcant labori-bus, nullis vincantur difficultibus ad illud per-ficiendum, unde illam «Pacem Christi in Regno Christi» futuram confidit, in quam ab ipso Pon-tificatus sui exordio omnes curas omnemque pastoralem sollicitudinem intendere decrevit,

firmiterque apud se statuit. Qua autem via in re procedendum? Ipsam praesentes rerum rationes clare demonstrant. « Nobis enim nunc — scribit Pius XI —, ut alias non semel in Ecclesiae historia, mundus obicitur magna ex parte in paganis fere relapsus. Ut integræ hæ hominum classes ad Christum, quem negarunt, reducantur, ex iis ipsis silegendi sunt et formandi auxiliares Ecclesiae milites, qui illos illorumque mentes et optata bene norint, qui in eorum corda suavi quadam fraterna caritate penetrare possint. Primi et proximi nimis opificum apostoli, opifices sint oportet; apostoli vero inter artificii commerciique assecas, ex iisdem hominibus esse debent. Hos laicos cum opificum tum herorum apostolorum studiose quaerere, prudenter eligere, apte excolere et instituere Vestrum, Venerabiles Fratres, vestrique cleri potissimum est. Difficilis sane provincia sacerdotibus imponitur, ad quam obeundam acri de re sociali studio rite parandi sunt quicumque in spem Ecclesiae adolescunt; sed maxime necesse est ut, quos peculiari ratione ad hoc munus deputaturi estis, tales se exhibeant, qui exquisitissimo iustitiae sensu praediti, cuiuscumque iniqua expostulant aut iniuste agenti, virili prorsus constantia obsistant; qui prudentia et discretione a quovis extremo aliena excellant; quos praesertim caritas Christi intime pervaserit, quae una valet hominum corda et voluntates iustitiae aequitatisque legibus fortiter simul et suaviter subigere. Hac via, quam felix rerum usus non semel comprobavit, omni alacritate incendum esse non est cur ambigamus.

« Hos autem dilectos Filios Nostros ad tantum opus electos enixe in Domino hortamur, ut excolendis viris sibi commissis totos se dedant, in eoque officio apprime sacerdotali et apostolico adimplendo christiana institutionis vi opportune utantur, iuvenes docendo, christiana sodalitia instituendo, studiorum coenacula condendo ad normam fidei excolendorum. In primis autem magni faciant et in bonum suorum alumnorum assidue adhi-

beant pretiosissimum cum privatae tum socialis instauratio instrumentum, quod Litteris nostris Encyclicis *Mens Nostra* d. 20 Dec. 1929 in Exercitiis spiritualibus positum esse edocuimus; quibus Litteris cum Exercitia pro laicis quibuscumque, tum etiam utilissimos opificum Secessus aperte commemoravimus: in illa enim spiritus schola non modo optimi excoluntur christiani, sed veri quoque apostoli pro quavis vitae condicione instituuntur, et igne Cordis Christi inflammantur. Ex hac schola, ut Apostoli e Coenaculo Hierosolymitano, prodibunt in fide fortissimi, invicta in insectationibus constantia firmati, zelo flagrantibus, de Regno Christi quaquaversus propagando solliciti. Et sane, talibus nunc maxime opus est robustis Christi militibus, qui totis viribus adlaborarent ad humanam familiam in columem servandam ab immani prorsus exitio, in quod rueret si, spretis evangelicis doctrinis, ille rerum ordo prævalere permittetur, qui non minus leges naturae quam divinas conculcat. Ecclesia Christi super inconcussam petram constituta nihil habet cur sibi timeat, quum pro certo sciāt nunquam fore ut portae inferi contra ipsam prævaleant (Matth., XVI, 18): quin immo tot saeculorum usu compertum habet se e maximis procellis fortiorum egredi solere novisque ornatam triumphis. Sed materna eius viscera nequeunt non commoveri ob innumera mala, quibus inter huiusmodi procellas tot hominum milia vexarentur, atque potissimum ob gravissima spiritualia damna inde secutura, quae tot animas Christi Sanguine redemptas ad aeternam agerent ruinam. Nihil igitur intentatum relinqu debet ad tanta ab humana societate avertenda: huc labores, huc industriae omnes, huc assidue fervidaeque ad Deum preces vergant. Etenim, divina adiuvante gratia, humanae familiae sortes in manibus nostris sunt.

« Ne sinamus, — instat — Venerabiles Fratres dilectique Filii, ut filii huius saeculi in generatione sua nobis prudentiores videantur,

qui ex divina bonitate filii lucis sumus (cfr. Luc., XVI, 8). Illos siquidem deprehendimus summa sagacitate strenuos assecas sibi selligere et instituere, qui errores suos per omnes hominum ordines totiusque orbis terrarum plagas in dies latius diffundant. Quantocumque autem Ecclesiam Christi vehementius impugnare suscipiunt, videmus eos intestinis dissentionibus sepositis in unam aciem magna concordia cogi et ad communem finem assequendum viribus prorsus unitis adlaborare.

« Iam vero, quot quantaque indefessus catholicorum zelus, cum ad bonum sociale et oeconomicum, tum in re scholari et religiosa ubique moliatur, nemo prefecto est qui ignoret. Sed mira haec et laboriosa actio haud raro minus efficax evadit ob vires nimis in diversa distractas. Uniantur igitur omnes bona voluntatis viri, quotquot sub Ecclesiae Pastoribus hoc bonum ac pacificum Christi certamen certare volunt; omnesque, Ecclesia duce ac magistra, in christianam humanae consortio restorationem, quam Leo XIII per immortales Litteras *Rerum novarum* auspiciatus est, pro cuiusque ingenio, viribus, condicione, aliquid conferre nitantur; non sequentur, sed quae sunt Iesu Christi (*Philipp.*, II, 21); non propria consilia omnino urgere contendentes, sed ea vel optima remittere parati, si maius commune bonum id requiri videatur: ut in omnibus et super omnia Christus regnet, Christus imperet, cui « honor et gloria et potestas in saecula ».

EX SUPREMA S. CONGREGATIONE S. OFFICII

Per decretum d. XXVII mens. Junii MCMXXXI, praedictum, ad normam can. 1399, 2o, 6o, C. I. C., habenda sunt et in Indicem librorum prohibitorum inserenda opera Eduardi Le Roy, quorum titulus:

L'Exigence idéaliste et le fait de l'évolution.
(Paris, Boivin et C. 1927);

Le problème de Dieu (Paris, L'Artisan du livre, 1929);
La pensée intuitive, Vol. 2. (Paris, Boivin et C. 1930);
Les origines humaines et l'évolution de l'intelligence (Paris, Boivin et C. 1930).

ANNALES

Italorum luctus.

Regia Italica domus Italorumque populus recens iterum gravi luctu perculti sunt. Vix enim sexaginta et duos annos natus diem obiit supremum Emmanuel Philibertus e Sabaudica stirpe, Augustae Praetoriae Dux, Regis consobrinus.

Religioni et Patriae devotam transegit vitam; christiana namque pietati exercendae actiones suas informavit domi, bellique. In recenti immani discrimine, terrestri Italorum tertio exercitu praefectus, qui tot valoris specimina praebuit, militum animos sibi ita devinxit, ut tamquam patrem colerent, et eius nutu omnino penderent. Isque vicissim ita eos amavit, ut inter filios hosce suos in acie interemptos, ad Redipulæ coemeterium, condi iusserit.

Retribuat ei Deus secundum eius iustitiam et fidem!

* * *

Londinensis conventus.

Gallica colloquia de oeconomicis rebus, post Hoowerianam rogationem per universum orbem componendis, de quibus in superiori hac eventuum recensione nostra mentionem fecimus, sequutus est de eadem re Londinensis conventus, qui re quidem vera haud certos ex parte sua effectus reportavit. Gallia enim vehementer iterum institutis in requirendis politicis

cautionibus pro nummario auxilio Germaniae ferendo; frustraque, usque adhuc, Americanus Stimson et Angli Mac Donald atque Henderson conati sunt ut concordiam aliquam nanciscerentur.

Hispanicae res.

Novus legatorum legibus ferendis publicus coetus in Hispania congregatus est; qui, postquam operam administratorum ad tempus collegii, cui Alcalà Zamora praefuit, ratam habuisset, eiusque abdicationem respuisset, de legibus rei publicae statuendis disputationem instituit.

Interim hic illic seditiones, tumultus et incendia perdurant, «Communistarum» praesertim opera, qui Hispali sedem suam tormentis bellicis solo aequatam a gubernii militibus viderunt ...

Chilenses motus.

Nova rei publicae conversio e Chilensi civitate nunciata est, per quam Ibanez chiliarchae, qui rerum summa gerebat, officium suum relinquendum fuit, et fuga Argentinam rempublicam petenda.

Aliis administris imperium commissum est, sed a Bonearensi civitate, quo perfuga vicissim se contulerat, ad Sancti Iacobi urbem profectus est Arcturus Alessandri, iam et ille Chilensis Praeses, auram popularem, — prouti dictant — iterum tentaturus.

POPULICOLA.

*Rebus angustis animosus atque
Fortis appare; sapienter idem
Contrales vento nimium secundo*

Turgida vela.

HORATIUS.

¹ Ex PETRI BEMBI, *Historia veneta.*

VARIA

Ludovicus XII, Gallorum rex, bellum Venetis indicit.¹

Regis Gallorum praeco Venetas venit, ut bellum reipublicae indicaret. Ab eo Patres, semotis aliis, ne civitas re nova permoveretur, se adiri voluerunt: itaque porta devia in vestibulo curiae admissus, veste liliis aureis intertexta sese induit: tum cu- riam ingressus, ante Patrum subsellium stans: «Bellum — inquit, — o Laure dane, Venetorum dux, ceterique huius urbis ci- vies, Ludovicus, Gallorum rex, indicere me vobis iussit tamquam infidis hominibus, Pontificisque Maximi et reliquorum regum oppida per vim perque iniuriam capta pos- sidentibus, omniumque omnia dolo malo sub vestram ditionem rapere atque redi- gere festinantibus; ipse ad vos armatus ea repetiturus venit». Ad haec Laure danus Patrum medius sua in sella sedens ita respondit: «Res haec publica, Galle, quam adiisti nihil iniuste possidet: nam iure agit, neque fidem cuiquam fallit; quam certe fidem, nisi valde plus iusto regi ipsi servavisse mus tuo, ille vero ubi pedem in suo poneret, in Italia non haberet. Sed praestat nos vel cum periculo esse qui semper fuimus, dum Aloisius aequa ar- rogantia atque perfidia polleat. Bellum quod denuncias propulsaturi, Superis iu- vantibus, sumus, quos ille vindices habi- turus est aut hic, aut apud manes, rupti per scelus foederis». Hoc responso accepto, est dimissus; ac ne quis eum violaret, quos itineris comites a reipublicae magistris adveniens habuerat, iidem sunt reducere atque in regis finibus sistere il- lum iussi.

Olla natans.

Lebetem aheneum et ollam fictilem undae vis abstulerat. Tum olla magnopere vitare concursum aheni, et formidare ac tremere. Cui lebes: «Quid metuis?» — inquit — «non ego tibi nocebo». Respondit olla in tali iactatione se non posse securu esse animo, cui non suspecta ipsius volun- tas erga se, sed fortuitus concursus timori esset.

Docet fabula, periculosas omnibus modis esse potentium et impotentium coniunctio.

Pro iudicibus mensarum elegan- tibus.

ESCARUM ORDO:

Farinacei globuli iuri innatantes.

Pullus gallinaceus elixus cum scoly- mulis in oleo asservatis.

Iecuscula ad Venetorum morem.

Vitulus assus, salsa mentis adspersus.

Persicae mali in syrupo decoctae.

locosa.

Tuccius in via nummum deperditum nanciscitur; tollit, animoque vehementer angitur.

Ei amicus: — Ecur moerore adfligeris? Tua sorte contentus potius esse debes.

— Minime gentium! Si matri tradi- dero, pater me vapulabit; si patri, mater...

— Serva igitur tibi.

— Tum vero ambo me male mulcabunt!

Tuccio Magister arithmeticam hanc quaestionem expediendam proponit: Pu- blicus quisque currus locum viatoribus sexaginta praebet; quot viatores quinque currus transvehent?

Tuccius: — Haud possibile quidem scitu est!

— Ecquid non, inepte?
— Aliis enim horis currus deserti sunt;
aliis hominum multitudine redundant!

Aenigmata.

I.

Cogere prima solet;
Altera nare iubet;
Utraque mixta bibis.

II.

Si neutrum, cursu festinat ad aethera velox;
Masculus in molli corpore reptat humi.
Aenigmata in fasciculo sup. mens.
Iunii proposita his respondent: 1) *Re - do;*
2) *A - bel.*

LIBRORUM RECENSIO

Monumenta Polyphoniae Italicae. — Vol. I.

Opus memoria dignum summisque laudi- bus efferendum p[re]e manibus habemus, quo iandiu desiderata monumenta polyphoniae Italicae in lucem edita, typis vulgarit[er] nemo est cui notum non sit quae et quanta in ar- chivis italicarum ecclesiarum pretiosissima sapientum virorum artis musicae peritorum documenta asservantur, e quibus italicico no- mini aeterna laus futura sit; sed difficultates ad opus non paucae et in primis pecuniae caritas; nam nobilissima ingenia quae in id studium probe ac sapienter incumberent non desunt. Monumenta quoque italicae polypho- niae in latebris adhuc sederent, nisi cuiusdam divitis matronae, Iustinae B. Ward neoabora- censis, munificentia adfuerit: eius enim expen- sis primum hoc volumen stetit.

Monumentis polyphoniae Italicae hoc pro- positum est: musica opera auctorum italicorum, quos classicos vocant, qui saeculis xv, xvi, xvii floruerunt, critice in lucem proferre. Totum opus, moderantibus Raphaele Casimiru et Eduardo Dagnino, ita digestum erit, ut singula volumina singulos auctores, et, si



res postulet, clarissimi cuiusque auctoris opera omnia comprehendant.

Volumen primum nuper exhibitum, a Raphaelae Casimiri curatum, praefationem doctam equidem ac disertam legentibus afferit, qua missa « Cantantibus organis Caecilia », XII vocibus, Petro Aloysio Praenestino; Hannibali Stabile; Francisco Suriano; Andreae Draconi; Rogerio Ioannello; Curtio Mancini; Prospero Sanctini vindicatur. In catalogo manuscripto volente anno 1754 archivi musicalis Lateranensis missa haec continetur sub titulo: *Messa di Annibale Stabile ed altri autori intitolata: Cantantibus organis Caecilia - Libro uno, 1º coro manoscritto a 12 voci - A. 52.*

Haec praecipua res est quod missa illa a Stabile cum aliis modulorum musicalium scriptoribus edita fuit, inter quos scriptores Praenestinus principem locum obtinet. Argumenta enim totius missae ex eiusdem «motetto» *Cantantibus organis* desumpta a clarissimis scriptoribus evolvuntur. Ad «Gloria» nomen legitur Praenestini, sed in tribus sequentibus choris nullum scriptoris nomen videre est. Dicendum itaque hos tres choros Praenestino esse adscribendos; nam si de alio auctore et non de Praenestino ageretur, equidem opus id nomine auctoris non privaretur. In operibus Praenestino adscriptis opus hoc non legitur; nam omnes doctos viros, non excepto clarissimo Haberl, hoc scriptum latuisse videtur.

In re musicali quiddam novi piae oculis habemus in quo una cum Praenestino, Hannibal Stabile, Franciscus Suriano, Andreas Draconi, Rogerius Ioannello, Prosper Sanctini, Curtius Mancini adlaboraverunt. Quo in communi opere nomina recensentes, quedam intima coniunctionis familiaris ratio inspici potest, nam doctis viris notum est Stabile et Draconi Petri Aloysii discipulos fuisse. Ab ipso Petro Aloysio Surianus discipulus appellatur, ut ex litteris patet postridie Idus Apriles anno 1583 datis. De Ioannello quoque nulla dubitatio, si fides danda est scriptis

Antimi Liberati anno 1685; exstant Mancini et Sanctini, quorum notitia ad nos minus crebra pervenit; novimus tamen eos inter pueros cantores adscriptos fuisse eo tempore quo Praenestinus Chori Magistri munere fungebatur in «Lateranensi cappella», a quo anno 1560 abdicavit.

Codex egregia apicum forma excelleat, sed ab amanuensi nonnulla menda admissa fuerunt, quae a Casimiri ad normam rerum musicalium revocantur. Dubitari etiam potest cur codices, binos *Sanctus*, eosque non perfectos, referant, dum *Benedictus* prorsus deest. Nec credendum ita, ut scripta referunt, tunc modulata fuisse, quod esset absurdum; sacra enim *liturgia*, tunc temporis, sicut et nunc, mutila esse non poterat. Quod deerat, cum quadam *falsobordone*, an cum aliqua alia formula modulabantur necne? Quos defectus emendandi causa, Casimiri appendices binas apposuit e fragmentis modulationes probabiles desumens.

Opus denique nuper incohatum nobile exitum se habiturum promittit; nam secundo volumine inedita opera Constanti Festa annunciantur; tertio, Hannibalis Stabile; quarto Ioannis Mariae Nanino; quinto, Francisci Suriano; sexto, Ioannis Andreae Dragoni opera inedita in lucem prodentur.

Qua de causa *Pontificium Institutum Musicae Sacrae*, sumptibus illius matronae Iustinae B. Ward, opera ac studio suorum professorum, orbem universum monumentis ditabit sacrae polyphoniae ad nos usque ignotis, illudque Horatii poetae iure sibi vindicabit:

Exegi monumentum aere perennius
Regalique situ Pyramidum altius!
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series et fuga temporum.

Ergo: *Sume superbiam quaesitam meritis!*

ALEXANDER AURELI.

IMPRIMATUR; Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreion, Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS